

/ Ill/me Ampliss/me et R/de D/ne, amicorum Ecclesiae Dei amiciss/me
, et hostium ejusdem Triumphator felicissime Flos, Princeps, Sal, Sydus
Pugilum fidei omnibus nominibus colendissime Roberte Cardinalis Bel-
armine.

51. Obsecro D/ne ne irascaris si loquar. Sic dixit Abraham Deo. At
fuit Abraham eloquiis potens. Ego vero cum Jeremia dico: Nescio loqui
, quia puer sum. Ceterum quia libenter suffertis insipientes, cum si-
tis ipsi sapientes bona vestra cum venia posita infantia loquar: eo-
que fidentius loquar, quod cum hic ipse dies est B. Catharinae sacer,
10 vel inde saltem, quid possit Deus per os infantium monear. Nec vos a
legendo terreat immanis Epistolae longitudo, quia multarum Epistola-
rum iusta argumenta, in hac una insint, locique distantia, scribendi-
que periculum cogant, ut semel et conjunctim expediam, quae divisim
alioquin, et diversis temporibus forent facienda. Aguntur autem res
15 longe gravissimae honor Dei et salus Patriae, a cujus accusatione, ni
in medicinam foret, haud me deceret Laicus cum sim sermonem istum
auspicari.

2. Britanniam antiquus sed infestus Panegyricus, ad scelera Secretum
olim vocavit, sed illic num secretum sceleribus non quaeritur quae
20 in propatulo facta, aequae palam defenduntur. Neque vero tam nos se-
jungit reliquo ab orbe pelagus iniquitas, et ab ipse Christo principa-
lis factio. Anglia mea (pars illa Britanniae, qua dempta universa in-
sula neglecta jacuisset et ignota) ob insignem pietatem teste Italo
Polydoro, licet illic is in ipsa veter disciplinae perturbatione
25 vixerit, valde fuit venerabilis. Sic enim in sua Anglorum historia
gentis laudationem exorditur: nulla credo hodie natio omnia quae ad
divinum cultum pertineant sanctius, diligentiusque observat. - Quo-
circa Angli ob id imprimis collaudandi quod multo Christianissimi re-
ligiosissimique sint. - O praeclarissimum a viro laudato testimonium.
30 At quantum, eheu! per ingominiosissimam haeresim octoginta plus minus
annorum decursu in pejus profecerit, ex Latino Meterani Belgae inter-

/ prete, in sua historia liquet Meteranus iste hospes ingratus, et civis Lundini inquilinus per plurimos annos, rerum et morum Anglicanorum spectator et observator diligens illic haesit, posteaquam autem valde multa, et magna in laudem gentis meae scripserat, subjungit tandem.

5 Gens Anglica dolosa, plenaque dissimulationis aulicae, tum verbis tum moribus, quam illi pro summa prudentia habent. Id autem si verum sit, ad mores Elizabethae suae, cujus erat frequens cantilena: qui nescit dissimulare nescit vivere. En quam belle populares mei sese toti confinxerant.

10 3. Verum quorsum ego degenerum morum nobilissimae et rectissimae ex sua indole gentis, flebile et erubescendum testimonium a peregrinis mutuem, quum flagitiosissimus libellus moralium locorum communium, Anglica lingua Lundini, nuper edictus aliquibi illi (ne cives metu forte Atheismi Papismum erepetant, quem superstitionis nomine prius
15 subinnuerat) inter caeteras Atheismi praerogativas, disertis verbis (dictu horrendissimum) asserat Atheismum non perturbare Respublicas. Atqui hic talis partus haud evulgatus fuit a pannoso aliquo tenebrione, sed a splendido, et equestri viro, qui num etiam ad sublimiorem gradum evectus, arcano tanto reperto atque edito, dignus forte videatur
20 tur qui tandem quoque ad summum perveniat. O meam patriam clarissimam, eamque olim castissimam, neque tam versipellium oratorum pigmentisin fucum et fraudem ornatam, quam veris bonis florentissimam in quodnam te praecipitem dedit Barathrum haeresis.

4. Britannia semper fuit Roma salutaris. Eam a ipso forte Petro (Mose
25 se illo Christiano et Regalis Romani sacerdotii fundatore) lustratam Eleutherus et Gregorius Petri successores sanctissime instituerunt. Neque solum a Petri Sede ob simpliciter et revera bona pependit, sed etiam aliquialiter et nomine tenus bona, potentiam civilem, opes et huiusmodi. Ad tempora autem Henrici octavii in fide Ecclesiae romanae
30 nae permansit. Tali autem dedicatore condemnationis nostrae qualis fuit Henricus ille, gloriamur, sicut de Nerone Christianorum persecutore primo, elegantissime olim dixit, ingens illa veteris Ecclesiae

/ tentatio Tertullianus. Nec est cur Romam meorum veterum civium aut pu-
deat aut poeniteat in quibus Lucius, orbis Europaei Rex Proto-Christi-
anus Edmundus Regum - Proto-martyr et Thomas, Hierarchiae, ut missos
fecerim Albanos, Amphibalos, Julios, Starones, Oephegos et alios è coe-
5 litum purpuratorum classe. Plures autem Reges et Reginas et Principes
una Anglia sanctorum albo peperit, non dico quam orbis noster uni-
versus, sed certe quam terrarum circumcirca ulla alia auxit matre fi-
liae Decus. Coelorum laquearia flammis pernoctibus haud ita rutilant
ac beatificorum lucernis exemplarium. Neque infoecunda fuit Petri ae-
10 rario, aut ferrariis capitolanis ignota Anglia, sed usque ad invidiam
foecunda. Quod si colligendi est ~~et~~ refundendi tempus. Utcumque autem
meretricia haereticae pravitatis lenocinia meorum mores foedissimae
corruperint, spondere tamen ausim gentis meae nomine quandocumque ve-
rum vultum proavitae pietatis intueri per Romam dabitur Anglicam An-
15 gelicani indolem protinus reddituram. Atqui haec Ill/me Dñe hactenus.
5. Ea autem quam prudenter, haud verus quam imprudenter, nescio. Hen-
ricus enim Conestabilius amicus meus dum vixit praeclarus (vir Deus
bone, ingenio, ac moribus, eruditione, auctoritate, prosapia, an pietate
illustrior, sub Elizabetha Regina spes opimas pio amore Jesu Christi
20 contempsit, neque contempsit frustra; mortuo enim patre suo, viro eque-
stri, omnibus ad eadem mulctatus fortunis, Jacobo tamen mansit accep-
tus, donec ad foeminam principem in aula gallica pauca quaedam de re-
bus catholicorum, quanquam ea ad Jacobi honorem perscripserat. Eae lit-
terae dicteris in menistellos anglicanos (omnium malorum nostrorum
25 encentores) probe salitae, per Henricum quartum Regem Galliae (sicut
et mihi et aliis retulit Conestabibius) ad meum Regem Jacobum utcum-
que delate, in causa erant cur gratia excidens, non solum aula Anglica
exigeretur, sed in moestissimum carcerem (turrim londinensem vocant)
quasi suspectae erga principem fidei, contrusus erat, verum tandem
30 dimissus; post copiosam, quam passim exercuit nobiliorum animarum cap-
turam, Christo lucrifactorum, in carcerem fletensem Londini missus,

3901^c
1501^c

/ post custodiam biennalem, et triennale in Gallia exilium ad coelestem
haereditatem confessor illustris ex hac vita feliciter emigravit, in-
gens sui desiderium apud suos et in iis ill/mum atque optimum Cardi-
nalem Perronensem relinquendo. Mihi igitur quanquam ab omni malefico
5 erga principem, et patriam semper alienissimo, jure metuendum est, ab
oculis, auribus, et manibus regum; non ut ne gratia excidam, quae plane
nulla est, sed ne deprehensus collidar, et dispeream. Scripsi tamēn
ad gratiosissimam vestram Celsitudinem et scripsi non tam captata,
quam oblata occasione. Ea vero quoniam ad vos attinet si libuerit
10 audire (neque enim longo sermone in publica peccabo commoda) fuit
istius modi.

6. Quum jam per annum, aut eo circiter, Rogeri illius personati Apo-
logia, (atque utinam Apologia) in manibus hominum teri coeperat, me-
nister quidam (homo alioquin animi valde civilis, quo lupo sub agni-
15 nis moribus facilius falleret) ut eo libro, a me nunquam antea aut vi-
so, aut audito quasi machina animi constantiam labefactaret, mihi qua-
si per amicitiam perrexit; titulo vix leviter delibato, vehementer
indolui, velut polluta talibus ausis anglici certaminis gloria. Virum
non parvi nominis certiores ea de re feci, atque ad personati Rogerii
20 audaciam repondendam, tantamque catholicae gentis maculam eluendam, op-
eram meam vindicem indignabundus obtuli, nemine adhuc sese pro veri-
tate in armis ostendenti apud nos; neque obtuli magis stylo promptus,
quam stricto gladio si fas et opus foret, rem cum Rogero experiri. Ope-
ram inquam, licet majori forte ausu, quam futuro successu in laicum
25 laicus, in uxoratum uxoratus, in Anglum Anglus, in virum maturum ma-
turescens, in nobilem denique non utique plebeius. Elogiis pares, le-
gibus impares. A Rogero enim undique expeditissimo, omne genus stetit
instrumenti, et rerum abundantia in tuto, favor serenissimi Regis Ja-
cobi, regis mei, omnibus ingenii dotibus praescellentis, in typogra-
30 phiis dominari, apud bibliopolas vnaenum prostare. Contra impeditissi-
mo mihi, a tergo latebrae infidae, hinc minae, illinc ruina: quorum

/ vero hostium confertissimorum infensissimi cunei, quaque versum ter-
ror, horror, et ingentia pericula, intus ab animis, quam a reliquo duel-
li apparatu longe instantior neque ulla forte re alia, aut tutior aut
quam (raro quidem sed acerbo Dei beneficio) incureis, calum-
5 nis, atque mei contemptu, sicut forsitan cum extinguit David a facie
Achis Regis Jeth. Has tantas disparilitates compensant, aut verius su-
perant, quod causa fuerim potior, et conscientia quod refractorius, at-
que calcitro Rogerus ipsemet obsequens, quod Cosmopolites ille, ip-
se polites, quod ille denique Regicola, ipsemet Christicola. Et
10 dicor conscientia potior, quia D. Blackwellus, qui confessionem (sic
sumus homines) eo usque pertulerat praeclaram, postquam me pro more
meo paucissima dicentem, multis diuque in suam pertrahere sententiam
frustra tentavisset (infensus alioquin, quod litteras vestras ego in
primis, se inscio divulgarem) Anglicae locutus, tandem in hunc sensum
15 conclusit. verum est Domine mi Papam non posse, etc. Sunt enim monendi
citandi etc. principes. Credidit ergo infelix, et male ominati nominis
senex (sonat enim anglicae Black^w-wellus, Nigrum fontem) quemadmodum
Widdringtonus (si quid in etymis, aut significatione nominum lateat
momenti Marcentium villam Papam posse etc.. Contra id quod publice
20 tenuit Blackvellus. At Rogerum discipulum magistro suo meliori niti
conscientia non est veresimile.

7. Quanquam ergo superbissime atque importunissime Pseud'apologistae
argutias, meras fuisse sycophantias, praestigias et offucias menas, sem-
per ab initio putavi, re tamen alius introspecta, et propugnatorum
25 utrinque qualitate probe intellecta, omnis omnino evanuit inde haesi-
tatio. Vidi enim (prorsus ut desint in causa Dii) catholicae ecclesi-
ae majestatem, doctrinam, praxim a nobis stantes, Imperatores, item Re-
ges, Principes et Respublicas laudatiores cum nobis sentientes, velut
qui se suaque omnia sub eorum amissionis poena, vero rerum omnium Dño
30 Christo Jesu subjecisse agnoverunt, neque id quasi magni aliquid pa-
trantes, quando comparatione spiritualium sive prae spiritualibus, illa

/ altera sint ludicra et nihili, neque alia visa sunt ipsi Paulo de istiusmodi mercimonio loquenti. Caeterum in Rogeriano exercitu Centauros, leopardos, gryphos, monstra quaedam opinionum ex Orthocatholicis et Pseudopoliticis conflatarum, animadverti, quae Christum Jesum quasi ~~vi~~
5 vi in ordinem redigentia et precario tantum regnare relinquerent, frustra ut promiserit per Ezechielem Deus eum ob ovilis sui salutem cessare facturum bestias pessimas de terra. O caecas certe hominum mentes, qui si revera Christum vellent, et veras ex Christo mentem Apostolicam in Ecclesia Monarchiam contumacissime excutiunt, quod (utcum-
10 que alioquin morum corruptelae obnoxium) non tamen nisi culto Christo, et virtutibus, et litteris christianis possit subsistere, in ejus vero locum ^{acathol} Anactolanicum nescio quid et mere politicum substituunt et sufficiunt, quod omni procul dubio, absque Christi cultu, et christianis litteris, et virtutibus, humilitate, patientia, amore Dei, mundi contemp-
15 tu, denique et nobilioribus scientiis, et antehac substitit, et nunc subsistit, quemadmodum in imperio Ottomanorum sultanico illo an sathanico Despotico an Daibolico videre est. Frustra ut non dixerit Salustius Regibus bonos quam malos suspectioribus esse.

8. Hoc meum studium et oblatam operam vir ille praestans sicut ver-
20 bis honorificentissimis est prosecutus, neque ideo in suorum numerum amicorum, licet undique indignissimum transcripsit. ob causas tamen gravissimas ut non repressit, ita nec protinus suasit, ne tum quidem praevidebat enim iniquissimas duelli leges, quum ut meas vires in eo genere palestrae experirer Monitoriam quamdam Diatriben legendam
25 transmiseram, quam semel atque iterum perlectam adeo probavit ut sancte in suis litteris responsoriis affirmaret, me penitus Rogerum prostravisse, scilicet ne anima studium, non collandatum forte deferveret. Miserat interea Romam earum litterarum exemplar, quas certaminis oblatorias primum a memet acceperat. Post longam autem moram cer-
30 tior fio Vtram Celsitud/m subindoluisse quod ausus minime ignarus diffidentius excepisset.

9. Sed bene est quod non exceperit. Quid enim pro rei auctoritate
asserenda ab aliis nunc non est melius dictum? et supra omnes ab ipso
Bellarmino? Contra vero quod ego tanti in re tanta praestare potui?
Cum puero Davide lapides forte in adversarium eminus jecissem, gravis
5 armaturae militibus punctim, aut coesim ferire relicto. Ab meis armis,
aliquod (ni fallor) negotium Rogerianis facesseram, si pudor saltem,
si ~~denique~~ ~~conscientia~~, si denique conscientia. Armis nimirum, non ex e-
lenchis fallacibus, aut sycophantarum sophismatis, sed armis ad instar
B. Campiani, aut ipsorum veterum Patrum, sua quadam majestate, si fieri
10 posset, terificis. Est enim semper in nequitia servum quiddam, quod
flagellis convenientius, quam telis castigatur, falsitas vero cum dif-
ficulter refellitur, decoratur. Jam vero quando arma scholastica adver-
sus scholae mentem in scholasticis usurpentur revocanda sunt splendi-
dissima Patrum arma. Non quod stataria pugna cum Rogero non decerta-
15 rem atque etiam suis armis, non quod pedem pede non conferrem, abiit a
forti pectore tantum seclus, sed quia salebrescam Cath/ae scholae so-
lilitatem paucissimis, praesertim in juventute Angliae nobiliori, vel
curent multum vel capiant B. Patris Edmundi Campiani Decem rationum
(quas ut plurimum Melchiori Cano debuit) phrases, Deus bone, an fulgu-
20 ra politulos Ciceronianis haud ita arridere intelligo, neque eorum mo-
ror delicias quandoquidem jam diu sit quod Ciceronianismi exoleverint
et magis igneum succinctius, Laconicoque similis dicendi genus iisdem
successerit. Ipsam scio Campiniani dictionis floridam, et flammatri-
cem novitatem plurimis et voluptati et saluti fuisse. Sed haec ego non
25 non quod sim de verbis anxius, divine enim ex B. Cypriano nominatissi-
mus Baronius pie memoriae Cardinalis. In judicii contentione pro ros-
tris opulenta facundia volubili ambitione jactetur, cum de Domino et
de Deo vox est, vocis pura sinceritas non eloquentia viribus nititur
ad fidei argumenta, sed rebus: eoque minus anxius esse debeo quoties
30 verba Gregori Turonensis ex B. Hieronymo, de ejusdem Hieronymi coram
Dei tribunali flagellatione, quod Ciceronis argutias lectitaret, ad

/ memoriam revoco. Me quidem laicum homulum peculiari meo quodam,et sub rustico isto dicendi genere gaudere juvet. Non omnes in arena Romana uno modo armati,neque uno conflixerunt modo viatorem utcumque evadere satis fuit ad populi studia,et satis ad gloriam. Quid ad meae patriae
5 praesens palatum magis faciat quo pluribus prodessem maximopere respicio, verborum atque elegantiarum satis caeteroquin incuriosus. Rei autem cujusque enormitas non solum disputando evincitur, sed et dicendo, neque semper Apologetica Paroeneticis fortiora, atque a B. Paulo in divinis charismatis recenserut etiam exhortatio, scilicet facultas to-
10 ta oratoria. Quanquam autem omnino necessarium sit ut insolentissimi argumentis adversarii, direct~~us~~ a nobis, et apposit~~us~~ respondeatur, monendi tamen sunt omnes quid contra bonos mores, quid contra conscientiam perpetratum est, ut in odium perducatur improbitas, quae sanari non potest.
15 10. Hujus generis fuit mea illa monitoria Diatribe, quae temperatissima ad manus Rogeri licet pervenerit, ei tamen tam non respondit brevi quanquam, ut summo silentio texerit pervenisse, de sua securus fama, eo quod exemplaria illo uno plura alibi percrebuisse non exaudierit. Non enim erat cur contemneret, quippe quae et illi ipsi, praecellenti
20 viro ad quem eam perlegendam miseram, mirifice placuit, et rationum praeterea ex Scripturis, Patribus, scholis et Politicis deprompturum subhorruit acuminibus more licet sceptico magis quam polemico. At quali eventu? Noceri mihi sentio non responderi, qui tamen ne ad eorum notitiam nomen meum permaneret diligentissime caveram. Ego vero qui
25 victimae presuli obedire, propterea nisi legitime approbante magistratu nihil facere statueram, diem classicum expecto, labitur scriptio- nis tempestas, labitur et commoditas, chartis per metum disjectis. Tremunt enim inquisitores a quibus quadrimestri tantum spatio me aliquoties redimere cogebar, nec meis consiliis tantum reperiens
30 latebras consulto (fateor) sed moestus, atque turbidus dilabor, turbidus quod pugnare non dabatur, moestus quod pro meritam servitutem toti mundo imminere sim visus praesentissere, sicut enim devicto Pompeio

/ philosophus, ad quem in fuga diverterat, dixit, Imperia fato agi, et mutari tum romanam rempublicam in monarchiam, ita nunc vere metuendum est mutari ab irato Deo legitima mundi regna (solemni haereseos effecta) in mera imperia, et regimina despotica.

511. Ceterum utcumque gravissimam doctoris Westoni Angli sententiam qua asserit Rogeri quaedam ethnicismum sapere et Ecclesia interim adducta in egidentissimum periculum et objecta in praedam malorum principum aviditatibus, mire et poene furibunde similis exagites, ut constaret nobis de Spiritu Rogeriano, qui intra quindecim lineatum paginae 3/ae spatiolum, imperitiam, dolum, turpitudinem, versutiam, fraudem, injuriam, debaccationem in virum pium et non ineruditum, intemperatissime, et iniquissime verbis indecoris invomuit. Et tamen doctor verum dixit, tantum in hoc forte reprehendendus, quod nimis parce. Quicumque enim in gratiam Regum, vel flagitia eorum horrendissima, quasi sacro-
15 sancta statuit, et quasi non essent ii de quibus beatus Jacobus interrogat: Nonne divites per potentiam opprimunt vos? et ad quod in Christum conjurantes Rex prophetice cecinit: Apprehendite disciplinam. Ecclesiam autem statuit, impune in hac vita violabilem. Ejus certe talia dicta non solum videntur sapere quod dixit Doctor, aut revera sapiunt, sed ethnicismum ad unguem exprimunt et talia docens se tur-
20 ciscare velle ostendit.

12. Ceterum Rogerus Regibus ablandiendo quacumque sorte cum Christi aut sui Vicarii injuria, velut absentem, et procul, putat se catholicis Angliae pacem citius consiliaturum, quam si rigide defenderet contrariam sententiam: absurdum hoc, et iniquum. Absurdum, quia Regum ingenia nescire videtur. Iniquum, quia Evangelii Majestatem dehonestare. Solemne enim regibus est, semel, sed utcumque fixa, non nisi necessitate coactis refrigerare. Adulationem vero, inter artes evangelicas nemo enumeravit sanus. Emisit olim in lucem hujusmodi farinae librum De vera obedientia falso dictum Stephanus Gardinerus, eumque Henriciani furoris
30 sive prodromum, sive comitem, sed flevit emissum Stephanus, idque publice supprestantissima foemina Maria, quinquennali, Angliae sole, coram

/ honoratissima concione ad Crucem Sancti Pauli Londinensis, et flevit amarissime. E foelicem Rogerum si ad Rev/dmi illius episcopi specimen idem faceret, sed o foeliciorem, quod tamen vel tacitis votis non audeo sperare si ut liber ille sacrilegiorum Henrici sive praecursor
5 fuit, sive socius, ita Rogerianus iste Jacobeanae conversionis quasi phosphorus, et antelucanus foret. Id autem nisi fiat, actum est de meae patriae libertate civili, actum est de litteris, actum de religione denique. Gemella quippe haereseos soror, servitudo, suis philtris, atque
10 toxi quod animos Anglorum soporavit, adeo ut quidvis a quibuslibet haereticis malent pati, quam vitiis suis non perfrui, et pace, quae non est Domini, bello cuiquam postponenda. Libertatem autem civilem audi-
vi aliquem negantem in rerum esse natura, eumque splendidum quemdam vi-
rum, neque auctoritatis infimae apud suos, planeque dejecit velut phan-
tasma, et poeticam imposturam, aut saltem philosophicam, homo specie,
15 professione Minister, sed natura servus abjectissimus, vel potius bes-
tia. De litteris vero tum demum actum fuerit, deque docto otio, cum Re-
gum usibus satisfecerint, quae stupendo interea artificio, barbarieri
introducunt coguntur inservire. Maximis enim pragmatologis, et qui a-
pud nos vel soli, vel unice politicam sapuisse (sic) videbuntur, seque
20 pro solertissimis venditant, literas cum Licinio imperatore, cum Me-
lancthone, Carolstadio et Anglico Marprelato, velut regni virus tantum
non oppugnant palam, cetero quin occulte damnant turcicam imperandi
rationem, aut verius libidinem, mirifice efferentes. Ex omnibus autem
Angliae proceribus, vel consiliariis intimis, non est forte aliquispiam
25 qui secretis suis virum aliquem paulo doctiorem adhibet. Homines enim
admodum literatos a rebus gerendis summovent titulo ineptitudinis, et
inaviae, sed revera quia sacrosanctae lucem eruditionis opera tenebra-
rum non ferant. Barbaram ergo haeresim recte olim appellavit Ill/mus
Alaneis. Lucrum apud nos aequi regula est et iniqui, non dico, et fidei.
30 Veritas denique theologica cum Luciani philosophica virtute solum restat
De Religione quidem catholica in Camera stellata Londini, ubi soli

/ Magnates sententiam dicunt, palam est professus quidam malle se consentire ut Ecclesiae in Lupanaria verterentur, quam ut redux Papismus exerceatur illic. O impotentis et impuri hominis latratum prorsus diabolicum. Atqui obiter de statu publicae apud nos libertatis, literarum
5 et religionis hactenus.

13. At cum Rogerus ironiam suam edidit Apologiam, non suspicabamur se juramenti fidelitatis defensionem unquam demum suscepturum. Sed sive ab initio id ejus fuit consilium, sive more aliorum qui Ecclesiae voci non auscultant, non ab uno claritatis, sed ab uno obscuritatis
10 gradu in alium devolutus, eo praeceps delapsus sit tandem, suscepisse video, et videns ingemisco. Quod si veros ^{conten}tionis et contumaciae istius fontes vellemus, vobis Rerum scilicet hujus mundi amorem nimium. Rogerus autem qui pro focus utcumque eversis, aut imminutis aris pugnaturus prosiluit, ex non ita vetusto cathecumeno energumeno simili
15 lis nullam nobis suae mentis spem facit melioris, non quod patronus amicorum nihil magni, aut paulo gravioris damni laturus videatur pro fide catholica, et pro fidelium vinculo obedientia, sed quod homo gloriosus, quasi in prima controversia triumphasset, audacior inde factus ad defensionem juramenti dicti fidelitatis aese adjunxerit, manifestissimo in ~~Edem~~ Apostolicam contemptu et sacrosancta leae disciplina crimine. Sed si ita res est ut quod mali (inquit Cyprianus) jure et equitate non poss^uent temeritate atque desperatione perficiant actum est de Episcopatus vigore et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate. At prius actum erit de universo mundo, atque etiam
20 actum est. Scripturas, Concilia, Canones, Patres, Doctores, Pontificum res gestas, et voces, et totius orbis catholici testimonia ad sententiam nostram roborandam frustra adducimus contra Rogerum. Nam licet penes Ecclesiam sit vincere haud tamen confessionem victoriae ab invitis extorquere. Cum autem dicta fuerint a nobis omnia talen tamen esse
25 Scripturarum quas afferimus, et quorumcumque aliorum testium mentem impudenter inficiendo, ibi elusum omnia sicut etiam et it. In opere

/ enim suo quod Beat/mo Patrí dicare non est reveritus, et cujus patro-
cinii a Sua Sanct/e palam rejecti, neque solum rejecti sed notae libro
ipso injustae ignominiam immptalem ut extenuarent, vel quoquo modo
Rogeriam tegerent (saltem ad tempus, et apud aliquos) nihil non com-
5 miniscuntur. Nunc scripti legittimam vim calumniando, nunc omnem ei
fidem abrogando, nunc denique deploratae causae improbo subsidio, ficta
disseminando, quale est doctissimi Patris francesci Suarez opus re-
centissimum, quod tot tantique viri tam insignibus elogiis cohonest-
runt, et quod istum esse nervum sanguinem et spiritum unus e censori-
10 bus Epus pronunciat, aut Romae, aut in Hispania publice prohiberi, si nō
non et cremari etiam. Rogerus inquam, aut quisquis is est aliud despe-
rationis certe, aequae ac temeritatis manifestus in sui damnati libri
Epistola, sic infeliciter dicata sic disputat, ut supra tetigi negando,
hostem^{ium} esse germanum authoritatum quas testamur sensum esse verborum,
15 esse reliquorum. Quod posuit pejus Lutherus, aut Calvinus. Tollit con-
troversiarum iudicem, vim principatus Pontificis solvit: ad privatorum
iudicia omnia trahit. Papam depositi christiani interpretem negat, et
negat custodem nec controversiis ullum aut finem aut modum ponit, qui
sic respondet: Quis enim de veritate aut hujus aut illius dicti iudi-
20 cabit, nisi forte qui dicit Rogerius. Catholicus autem revera si fuis-
set hanc controversiam in favorem opprimentium Ecclesiam ne a limine
quidem salutasset. fuit enim inter vetita, toties declaratum atque
stabilitum dogma in dubium vocare. Is quidem quemadmodum monet Tertu-
lianus Haereticos sui temporis praescriptionis exceptione summonens.
25 Obstruendus ille fuit a nobis gradus, gnaris scilicet cum B. Ambrosio,
quantum periculi res sit veterem fidem quasi novellam discutere.
14. Caeterum in controversia ut ita dixerim juramentali, Rogerianae
defensionis arx est. Regem solum civilem obedientiam, et solam fide-
litatem in civilibus a nobis exigere. Sed quid non dicet dicens talia?
30 Nam si id verum sit, cur in ipso juramenti elogio absolute dicitur fi-
delitatis, non autem fidelitatis civilis? cur in nullo juramenti loco
tale aliquod discrimen positum reperitur? cur tam perplexe concipitur

/ universum? cur sicut paucis enarrari potest, contrarium non obscure ponitur?

15. Henricus author schismatis Anglicani quantum in se fuit, velut quidam inter Christianos Jeroboam filius Nabat, auctoritatem pontificiam ex Anglia profligavit, titulo supremi capitis sibi arrepto. Edwardus sextus puer decennis patrissavit, patrissavit et Elizabetha. Hi tres autem e forali Tydderorum familia principes non alio praetextu Primatum ecclesiasticum invaserunt, quam quod eum juris Regum Angliae veteris fuisse partem, et antiquis Anglorum moribus ad coronam Angliae olim spectavisse asseruerint, contradicentes, non spiritus, sed carnis gladio exerto vibratoque. Primatum ergo illum in publicis regnis scitis, metu atque dolio extortis cum potestate regia adunant. Praetextu tamen vetustatis affictae adeo impudenter, ut qui licet omnia Albionis, atque etiam orbis excutiantur monumenta, neque Anglis meis solem, Lunam, Hertham deam atque Unodem colentibus, neque Britannis tempore Druidum, Andaten et reliqua gentilium numina, verus unquam fuit, sed viceversa mos in hac insula contrarius. Si quod est admissum facimus (inquit Caesar testis idoneus) si caedes facta, si de haereditate, de finibus controversia est Dreisde ^{audis} decernunt praemia, poenasque constituunt etc. Et quos Saxia interdicunt iis petentibus, jus non redditur. Erant autem hi sacerdotes sub ugo summo. Postquam autem sub Lucio Britanni, et sub Ethelberto, Angli sua Christo nomina dederunt, penes Episcopos, et cura, et praefectura religionis semper mansit. Quod si epistola Eleutheri papae quam serius martyrologiis divulgavit, non sit plane supposititia, quod negare videntur, certum est intellexisse Lucium, se in rebus etiam civilibus summo subfuisse pontifici, quando quidem legem ^{re} agni, et non solum fidei regulam ab eo petierat. Jacobus autem Serenissimus, qui nunc regnat, Henrico Eduardo et Elizabethae in torum cujuslibet sive juribus sive injuriis successe-
30 sit, quod exactis liquet.

16. Consolidantur igitur in regis persona, et coronae nomine, secundum Tydderianarium legum sensum utraque potestas, nec aliter nunc

(Rex Angliae Jacobus quam et ejusdem est quasi Summus Pontifex. Ni is sit, ecclesia anglicana acephala maneat. Acephalam autem non esse tam est certum, ut in hac novitia parte auctoritatis Regis, fundetur corpus juridicum, quod apud nos The High Commission appellatur, in quod negotiorum ecclesiasticorum mole, quae maximi momenti sunt, et quasi papalia Rex, sed cum provocatione a gravaminibus sibi reservata, sese exonerat. Sed de regni et sacerdotii per Britannias juribus, in mea historica, et dogmatica Antidoto dicam, si Deus volet, lucentius. Nunc autem epistolam tantum scribo, non ventilo controversiam.

10 17. Hae igitur voces Dominus et Corona non apud nos univoce et simpliciter proferuntur cum de Rege et Corona Angliae a factione protestantibus praedicantur, sed equivoce, scilicet ut Reges Angliae se nunc haberi volunt et pro ea capacitate (quod et animadvertit asserrimus diceptator, et amicus vester Reverendus Pater R.P. Gretserus, objicitque

15 nec elabitur Rogerus) quam Coronae Anglicanae recentissim affinxerunt, et sicut ubique ea ipsa a juris peritis, et communiter ab omnibus intelligitur, mirum ut sit catholicorum quempiam, qui regibus in Ecclesiae rebus, ad Ecclesiae damnum, aut injuria, nihil jure divino dicere putant (rectissimeque putant) vivere tam amentem, qui in talia Jacobi

20 verba curantem non peccasse autumet. Sensus verborum noctium dum jurat catholicus a magistratu suspendi (forte somnians, aut quasi accidentia a suis substantiis perfectionem separata) potestatem regis ecclesiasticam discretam ad tempus, et divulsam manere, misere decipitur, quod et ipse fatebitur brevi. Uelli Apologia pro sua ecclesia angli-

25 cana semel lecta. Istic enim discet utramque facultatem sive potestatem, non solum, quod aiunt unanimiter politici anglicani, jure Anglorum civili, sed etiam omnium gentium jure regibus, et regiis diadematis inseparabiliter in esse et conjungi. Paradoxo quidem absurdissimo, sed quod satis superque nos doceat, quis sit in hoc nostro casu sensus ad-

30 versarii. Fingatur autem velis judex subtilitate illa sua sive mathematica, sive metaphisica juramentum dictum fidelitatis catholico alie-

nipiam exhibens, eundem certe necessario debemus concludere laesae majestatis reum, utpote jura Regis, et coronae Angliae notorie imminuentem, partem potestatis regiae longe excellentissima, aut contra, aut citra leges abstrahent: equidem ut minimum libertate sua, et fortunis un-

5 iversis perpetuo mulctandum, eo quod tale aliquid fecerit sine auctoritate legitime sibi demandata, cui crimini tristis poena, quam vocamus praemunire, intentatur.

18. Igitur secundum novum istud imperii anglicani fundamentum, quod libertatem publicam a fundamentis eruit, sicut in romana republica po-

10 testate tribunitia Caesarum violentia sublata, duas res hujus juramenti concinnatores maxime spectaverunt: Papae jus exinanitum ventorum facere ludibria regnantem potestatem, in immortalem catholicorum servitutem adamantinis constrictam vinculis stabilire. Primum quidem rectius, ne visis decipulis volucres avolarent, quod in longe elangentissi-

15 mo de Juliani dolo emblemate in vestris a Blackwellum litteris ob oculos nostros Bellarmine posuisti. Alterum vero sicut apertissime, ita, esto quod non in eum solum finem, non injuria. Quis enim patriae suae materno affectu omnes suos cives ex aequo amplexantis, statum fixum mollet, atque inconcussum. Sed aliter se res habet, catholicis enim,

20 suorum parti constantissimae, et longe bene merentissimae, utpote cujus sola pietas ecclesiam anglicanam ditavit, prudentia rempublicam constituit, foelicitas nobilitavit, se novercam gerit iniquissimam, caeteris matrem. Propterea conscientis, et libertati nostrae christianae, quae nuper et sua fuit, nihil indulget quidem. Nam cum facillime posset, et

25 prorsus debuit aliqua mentio in ipso juramenti tenore de civili obedientia fieri, de ea tamen ne uno verbo fit, animo fallendi nescios aut obnoxios. Utcumque enim titulo prae se ferat, id catholicorum tantum gratia excogitatum fuisse, tamen omnibus omnino obtenditur, sive nobis catholicis, sive primatum Regis in ecclesiasticis, disertis verbis

30 juratoque affirmantibus.

Evidentissimum ergo est utriusque potestatis securitati ex isto juramento consulto prospectum fuisse. Id si non ita sit, ostendat Rogerus

(quibus verbis discriminantur invicem ibidem. Sed quod non est ostendere non potest, sed ego quia est ostendere possum contrarium. Proдите igitur ovos invicti et aeterna digni gloria confessores, qui Regi nostro omne genus civilis obedientiae accuratissime profitentes bonis
5 tamen et libertate gravissime mulctati et sunt et fuerunt, prodite inquam illustres Ecclesiae et germani filii, atque huic importuno Sophistae non verbis, non cavillis, sed factis et rebus os obstruite: vincula proferte, carceres commonstratote, fortunarumque vestrarum ingentes, quos vestra vobis peperit constantia hia describite in hujus con-
10 fusionem. Cui autem e locupletioribus, cui unquam gratia facta fuit talis acceptionis aut juramenti sensus, quem Rogerus per quietem videt? Nemini profecto: licet fuerunt qui eam interpretationem quasi beneficiis loco captantes, verba ex ipsius Regis libris quibus profiteri intelligitur se tantum civile obsequium velle descripta iudicibus pro
15 tribunali obtulerunt: responso scilicet Regis scripta non esse leges, sed acta Parliamentaria quibus Catholici premimur, obligare sub poena. Civilem ergo fidelitatem vel mille juramentis si paratissimus promittere; sed repellimur velut qui non ex integro, sed tantum ex dimidio sumus Regi subditi quemadmodum ad hoc ipsum quod Papae Romano in Ec-
20 clesiasticis obtemperemus. Rex ipsemet locutus est, quomodo in nostra acceptione atque sensu aut etiam Protestantium civilem solummodo obedientiam aut fidelitatem a nobis dicentur exigere Magistratus? Pontificiam potestatem etiam in spiritualibus eliminatum eunt, qui censuras ecclesiasticas tanti faciunt quanti floccum?

25 19. Constat etiam Rogerum muneribus victum fuisse. Si non sit id manifestum fac nobis ostendat quae illum tenuit custodia? Qui diripuerunt fiscales? qui infestarunt Inquisitores? qui illum compensarunt lictores? Ostendat (inquam) ut et nos a tali ~~conscientia~~ ^{conscientia} liberum credamus. Ostendat quo periculo libros suos exaraverit, legerit, evulgave-
30 rit: ostendat quis magistratus diem illi hoc nomine dixerit. Contra vero si non sit compertissimum quod non ingratus aulae, non urbi, non academicis, sed securus pro libitu versetur ubi dum Anglorum catholicissimi

/ mi si sacerdotes a carnificibus exenterantur, aut macerantur carceribus si laici bonis suis exuuntur, et privantur libertate, palinodiam cantabimus, nec dicemus Rogerum muneribus corruptum esse. Numerum quidem varia sunt genera, sed ea maximi pretii, quae non sunt maxima. Magni olim torques, phalerae et reliqua militatis virtutis praemia habebantur, sed torquibus phaleris, et duplicatis annona, et stipendiis corona graminea longe fuit pretiosior laurea vero donari, etiam ipsis diis aequare donatos videbatur. Mercenarius ergo est, non solum qui propter opes et auctoritatem arma adversus veritatem induit, exuitque
10 verecundiam, sed quicumque famam, ostium, favorem et leges vivendi lautiores, mercedem laborum indirecte aucupatur.

20. Sciat autem Celsitudo Vra me Rogerum personatum et Rogeri audaciam conjuratam haud frustra appellasse. De persona suo iudicio constat, Praefationem enim responsionis suae Apologeticae exorditur in prima persona. Edidi (inquit) non ita pridem Apologiam pro jure Principum etc., sed non longe post scilicet 16 personae oblitus praetensas Cardinalis Bellarmini demonstrationes funditus evertit. O misere per oblivionem lapsus si Rogerus non fuit auctor. Si fuit, o plus quam gloriosum. Emanavit autem funesti dramatis iudicium alias,
20 si id non sit iudicium. Neque enim alicui Mahometi suus unquam defuerit Sergius. Non autem conjurata tantum audacia ejus est, sed ut ita dicam, conjuratissima globi partim ex pauculis sacerdotibus non dico furtiva eleemosynarum subtractione, aut earum iniquissima, et plane vulpina divisione, aut denique sycophantia locupletatis, certe non
25 nisi ex sacerdotio viventibus, utpote alioquin pauperrimis, partim autem ex avaris, aut obnoxiiis aut tepidis Catholicis facto. De conjuratione vero tam clare liquet, ut interdiu lux solaris non magis. Aderam enim auribus testis, cum lautissimus sacerdos Rogerianus (de quo sacerdos si non haberetur longe plura et foediora possem) viri cujusdam
30 gravissimi monitis circa rem juramenti obtemperare respuens inferalem illam Julii Caesaris vocem, Bellum in patriam atrocissimum meditantis, mentione etiam Caesaris facta, et pro more suo pedagogicum quiddam nun

/ tius cachinnans,deliberatissime erupit,et jacta est (inquit) alea,
quasi ipsi Romae Papatuique ipsi (obellum Sacerdotulum) in suae indul-
tum foret factioni cladem,aut excidium gloriosus lucripeta intermin-
ans. Aderam,audivi,silui,inhorrui.Adversariis vero adeo creverunt a-
5 nimi ut equite quodam aurato,causam libertatis suae et omnium suorum
bonorum pro tribunali agente,ne fidem Deo,et Pontifici summo debitam
perjurio temeraret,palam et gloriabunde supremus quidem Judex intonu-
erit,se esse victurum quousque Papistica superstitio (sic enim libu-
it loqui) radicitus in Anglia excindatur,per Papisticam superstitio-
10 nem,hoc unum caput de Pontificis extraordinaria potestate intelligens
21. Atqui usque adeone,(o Pater et Princeps optime) contempti hac in
parte jacemus ut parasiticae apud nos factionis opibus,et potentia
praestruatur nobis etiam dicendi libertas? Tantumne refrixit aut ve-
rius congelascere coepit zelus Domus Dei in catholicorum pectoribus
15 ut aurae amantiores sint quam veri? Itane salebris,angustiis,et via-
rum ambagibus,unico quasi saltu superatis ad coelos veluti compendio
et perludum, jocumque ab hominibus lepidissimis itur? conjurabuntque
adversus Dominum,et adversus Christum ejus speudopoliticorum phalans
et nos,sicut ad Romanos olim beatus Paulus,incompositi,sine affectio-
20 ne,absque foedere,sine misericordia fluctuabimus? Sic est tamen.
22. Alexander quidam cognomento Cementarius in gratiam Johannis re-
gis Angliae,referente Mathaeo Paris,eadem quae nunc Rogeriani docu-
it,et defensavit.Sed is tum erat Christi vicarius,et ea Romanae sedis
illaesa apud nos majestas,ut qui divitiarum,aut favoris erg pseudo-
25 theologus fuit ausus licentius disputare,panem suum Johanne frustra
viato,ostiatim manducare coactus sit. At nunc rerum apud nos conditio
est a Deo inversa,atque immutata,regesque armis nostris litterariis
in sinus nostros audacter adactis,tam astute abusi sunt ignavia nos-
tra,et populi stultitia,ut qui hic e nobis beatitudinis suae quam op-
30 time volumus,eidem vel maxime non ad paupertatem tantum,sedad menda-
citatem rediguntur,si non et membratim discerpuntur. Dicam per Deum

immortalem quod res est, dicoam serio, dicoam confidenter, nisi per catholicos principes alimonia et subsidium pecuniarum rebus praesententur nostris, esse exitura omnia, et confestim, humanitus loquor, ruitura. Rem forte minime gratam memoro, sed verissimam; paratus porro quantum opus fuerit, et jussus ero, id ipsum, quam maxime ex usu ipsorum principum fere commonstrare. Quid enim orbi christiano magis commodum, aut conveniens, quam Angliae meae, si non ad ovile Christi reductio, at saltem temperamen! Tam est autem possibile, Anglia non reducta, orbem christianum sanare, ac est impossibile eandem ponte perviam reddere, aut isthmo continenti jungere. Una Anglia occidui mundi arx inexpugnabilis, protestanticae factionis vertex, et repagulum, fallaci sua et blanda quadam felicitatis umbra, religionis rebus maxime officit, quasi tam foelix Elizabetha ut Gensericus aut sanctior Arriano athaeo Ceterum licet omni dominatione sit intolerabilior haeresis, in armis tamen aut occultis machinationibus spes nulla. Malum autem quod patriae impendit longe pessimus, servitus, aliunde praestabitur, nisi cuncta priscorum oracula fefellerent. Minae autem sunt monita, potius quam deteritamenta, et conjurationes civium adversus principem, aut rempublicam, si quid aliud certe quidem conjurantibus excidium, amicis cladem, hostibus triumphum, religioni parient infamiam. Est tamen via facilis per quam fiat Anglia redux, et profecto adamussim fide analogia, placida, lactea, apostolica, triumphalis, et plane talis, quam ad caeli palatia tendere ex ipso candore liqueret Via (inquam) ut est apud prophetam Isaia sancta, via directa in qua non erit leo, nec mala bestia, et per quam reddenti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude, pro quo tanto et tam divino beneficio precemur noctes, atque dies, et cum David medullitus clamemus fiat, fiat!

23. Dignissimi autem catholici Angli opibus ali orbis christiani, qui continuam per sexagenariam persecutionem eamque sine comparatione Julianissimam, constanter atque invictissime pertulerunt. Dignissimi (inquam) mei cives omni ope, et misericordia, velut in quibus Fischeri, Mori, Campiani, et tot alii sacerdotes, nobilesque laici, artibus plus quam

(turcicis aut de medio sublatis, aut mulctati miseri, sive martyres pu
sive confessores lucidi, inspectantibus Deo, Angelis et hominibus
Qui totius quidem catholicae reipublicae haud ita magno decore, sed
damno certe maximo suis licet fluctibus relictis, nec magis insulam in-
5 colentes, quam ipsi insularum similes, velut afflictionum undis ~~undique~~
impetiti, nihil tamen omiserunt, quod a viris Deum amantibus, et civibus
bonis posset jure desiderari. Qui potuerunt tamen homines calamitosis
simi ? Restabant preces, et solae preces. Preces autem in scriptis tam
quam seorsum clerus, atque ordo laicus, et pro religione, atque
10 fidelitate sua Apothegeticas, et pro regis adventitii animo misericor-
dia flectendo Paraeneticas fuderunt supplicissime. Libellum unum qui-
dam R/dus senex evulgavit, in quo postquam omnia, quae a cive christia-
no principem legitimum expectare decet, et nos praestitisse, atque esse
praestitutos professus erat, amorem, studium, obsequium, tributum, inno-
15 centiam, et hujusmodi, demum partes adversarias ad de religionis veri-
tate disputandum provocabat. Haec illic. At in illo altero libello sup-
plice, quem clarissimus Eques, et venerabilis confessor Christi de Tho-
mas Tressam, et alii confesserunt laicorum nomine, iidem laici, quo ad-
versariorum cavillis abundantissime satisfacerant, obtulerunt sese ob-
20 sides, vades, pignora, quique pro suis domesticis sacerdotibus, quos ipsi
eligerent (domestici si concederentur sacerdotes) sub poena capitali,
nihil eos contra regem, aut regni incolumitatem machinatuuros, neque ut
alii machinentur consensuros. O fiduciam mutuae innocentiae admirabi-
lem, o caritatem cui nihil deesse dicendum est, unicam praeter obtinen-
25 di foelicitatem. Publicum Jacobi regis, et Britanniarum potentissimi
monarchae, quod Parlamentum barbarice vocant, primum celebratur Londini
concilium, in quo rei cardo vertitur. Neque defuit illic etiam catho-
licus, qui clara voce, quorum coram regni proceribus, in quibus et ipse
fuit inter praecipuos, orthodoxam, et avitam religionem propugnavit, et
30 proinde gravissimam futuram in die dissolvendae rerum naturae, preces
ejus inexcusabiliter aspernantibus reposuit testimonium. Quanquam au-

(tem legitimum facinus successu obtato caruit,isque ipse heros (loci contra ordinisque sui et fertur privilegia) in vincula raperetur, in honestissimam tamen Montacutensem Brunnium familiam, decus omnibus suorum imaginibus, quas praefert tamen praeclarissimas, intulit profecto ⁵immortale. Quod si quid ultra preces per impatientiam, ambitum, imprudentiam, desperationem, aut a paucissimis tentatum, aut tentando peccatum fuit, est id deprecandum quidem, non depraedicandum, lamentis non laudibus prosequendum. Et o quantis emerem, o quantis, inquam, quantis emerem ego, aut redimerem suppliciis illud Tertulliani, vere de omnibus ¹⁰catholicis posse pronunciasse. In cujus perniciem aliquando convenimus? Gratiam illi quidem ab adversariis sunt eo nomine pro meriti singularem: nam nisi catholicos apud populum Anglicum talis contigisset calumniandi occasio, aut concilii inopia ad sanitatem coacti rediissent, aut ad insaniam adacti a coeptis suis necessario destitissent, deserti ¹⁵scilicet, et solitarii.

24. Caeterum si severiores Pragmatollogi catholicis novis tum defuisse mentem, atque animum dicent, quod regem verum adhuc dubium nec adversariorum artibus penitus occupatum, in ipso regni limine eorum selectiores quidam suppliciter non adierent, partium suarum vires, officia, in matrem, in ipsum Jacobum studia, una cum querelis, et postulatis ²⁰suis quibus quibus exposituri. Respondeo Elizabethae et Jacobi regna sic erant contigua, ut unus fuerit communis utrique terminus, et quamquam liberior quaedam aura ad brevissimum tempus spirare visa est; tamen quia animi catholicorum, loco disjunctorum, a turbis, et timore sese ²⁵mandum recollegerant, nec in certis aliquibus casibus sine poena capitali congregari per leges potuerunt, fingit facultatem, qui objicit talia, neque reminiscitur, aut omnino nescivit nostram omnem sublatam fuisse Politeian, et reipublicae qualis qualis vestigium. Sed neque in hac parte accusandi sunt mei in Christo fratres, atque domini. Fredericus enim Vundessorus, perillustis, et clarae memoriae Baro, ex veteri Angliae nobilitate, vir cordatissimus Northumbraiae comitem optimatum

/ Anglorum quasi principem, adisse dicitur, priusquam Rex Londinum pertigerat, vota procerum aperit, suadetque, ut cum se, et cum aliis ex supremo ordine viris regem pro catholicorum solamine unanimes rogarent. Abnuit Northumbrius, verbaque minacibus similia subnexuit. Sed desert-

5 ricis secusationis seu poenam illam, seu mercedem, sub illo ipso Jacobo in turrim Londinensem postea coniectus, quasi conjurationis pulverariae non omnino inscius, vincula perfert damnosissima, centum nimirum, et viginti mille aureorum mulcta imposita. sacerdotis, et doctoris illius catholici, qui in ipso fere Angliae vestibulo, catholicorum no-

10 mine obsequia, quaerimonias, postulata, officiose, sed sponte exponens omnium mortalium primus a Jacobo hic in custodiam missus omen futuri regni elicuit. Quid clarissimum memorem Thomam Pondium, Elizabethae reginae a nobiliori olim setellicio? Hic meritis erga regis matrem fretus, cujus et religionis ergo, acerbissima perpeusus fuerat per an-

15 nos plus minus octodecim, et honoratissimos Successiae, atque Suthantoniae Comites propinquo cognationis gradu contingens, dum velut alter Mardochoeus suorum miseris qua potuit succurrere satagens, iudicis cujusdam catholicis infesti, idque sicut Pondio videbatur iniquissime, acta judiciaria apud ipsum regem liberius insectatur, venerabilis, et

20 fortissimus senex ludibrio publice exponitur, infamia, sed honorabili, netatur, et in gratiam helluonis ventricosi auribus praecisis dat poenas suae probitatis exemplariter. Quod si post tot hos, et alios permultos tantorum virorum irritos labores, fas sit et de meis publicae rei causae susceptis laboribus aliquid fari, et ego quoque, in persona ci-

25 vis boni sub nomine Coelii Prisci liberi sermonem de Republica christiana satis brevem Anglice adornavi, in quo optimis, ita quidem mihi visis, rationibus edocere nisus fui, non nisi veteri reipublicae forma reduce, et catholicis data requie posse regem vel se, vel suos in Britanniarum imperio stabilire, sed senis cujusdam R/di ex cujus iudicio

30 velut ex oraculo pependi, non quidem deortatio, sed non satis fervens adortatio, dissuasit, quamquam in principio non solum meum approbavit concilium, sed et magni fecit scriptum. Nemo igitur ex ociosis, aut fas-

(tuosis sive Philologis,sive Pragmatologis nobis intendat litem quasi causam nostram,vel incuria,vel aliquo alio vitio nostro perdidissemus ,qui si omni humana ope destituti haec praestitimus,quid non praestitissemus tandem,si viciniore principes catholici,ut oportuit,operam
5 cum nostra conjunxissent,legatione eam solam ob rem huc tempestive destinata. O quantum dignitatis,quantum amoris,quantum venerationis ea res consiliasset non nobis solum, sed et religioni nostrae! Potuit-ne seriis christiani orbis precibus Jacobus tunc obturasse aures? Imo rem gratam ipse forte fecissent Jacobo, qui ex sua indole longe humanissimus, talem matris suae amicis benefaciendi ansam libentissime arripuisset: sed cum nos a nostris aut despectui, aut neglectui habitos, certe quidem non adjutos vidit, tum nullo negotio partes prevaluere adversa eandem praesertim cum rege religionem profitentes. Deus autem in die judicii, a quibus causae suae hic proditae, et protritae rationem, et poenam exiget, non est nostri divinari; nos interea non nostrae
15 solum, sed et aliorum culpa poenas damus. Deus non imputet illis. Quando igitur omnia nostra vota, preces, molimina in cassum reciderunt, cum propheta Jeremia lamentando atque ejulando dicere possumus: factus est dominus quasi inimicus, polluit regnum, et principes maledixit, et tradidit in manu inimici muros turrium ejus.

25. O si te nunc Cardinalis Bellarmine, Angelus quisquam sicut Prophetam Abacuc asportaret, ut res nostras desuper despiceres, aut sicut X/us olim in fastigio templi, et tu in altissima quadam Britanniae specula paulisper collocarere unde catholicorum illic gregem, sed non
25 gregatim aut ullo certo sub Pastori, inter edacissimos et rapacissimos lupos exanguem, exuccam et brevi raroque interstinctam vellere, palantum videres, scio quidem te tam triste spectaculum siccis oculis minilaturum, scio, scio, inquam, te intimo animi dolore tactum, votis ad Deum, precibus apud homines, opportune, importune opem quaqua posses allaturum.
30 Omnia autem, proh dolor, malorum quae vos intus exercent fontes atque fomites sunt sacerdotum aliquorum dissensiones. I enim et factiones artibus hostium, jamdiu est quod ierimus. Petri sedem Romae

velut longius dissitam relinquentes Sorbonicum conciliabulum, Christianorum velut Samariam, colunt, atque inde solutiones petunt, quod ex parte non parva sunt enim et illic timentes Deum factiosa sua, et phantastica licentia, Religionem, disciplinam et Rempublicam Catholicam per aliquot hos centenos annos proxime elapsos, ad Romanae Ecclesiae inviam et tyrannorum gratiam pessime corrumpit. Quae pestis in viscera nostra, et sinus intimos per Rogerum in Angliam inducta schismati novo, suam apostasiae, viam sternere videtur manifestam. Natum esse ex femina judea Antechristum illum, Diabolus a Deo coactus, in Gallia nuper dicitur vaticinatus fuisse quod non abludit a probabilitate si quis mature perpendat, homines licet in diebus Noe suis vitiis indormientes, et repletam iniquitate terram, sed praecipue si quis maturius perpendat animos mortalium ad defectionem generalem perpetuis circa religionem dissidiis, quae Politicorum fovet malitia inclinos.

26. Ad publicam rem omni procul affectu vix pauculi curant. Quique pro suo, ut loquuntur, corpore, saeculares et Religiosi, religiosi et saeculares seorsim sic contendunt quam pro rei Summa, atque utinam tantum non inimici, aemuli utcumque. Omnis tamen spes, salus, et robur nostrum in sola animorum sancta conspiratione repununtur. Quod si sic pertinaces simus, quum non solum, ut inquit stateus, (lis est de paupere Regno) sed de omnino nulla. Quid fiet Deus bone rebus laetioribus? Interea horum et illorum nuntia Beatitudini suae forte suspectiora fiunt, veluti in quorum virorum libet moliminibus, sub Reipublicae obtentu privatus aliquis affectus subsentiscatur delitescere. Quod si laici nostri quorum opes, aut verius inopia belli hujus sustentant sumptus in suam rem communem ita essent intenti ac optandum foret, instructumque suum negotiorum gestorem, et ii quoque Romae haberent, qui laicorum statum graphice depingeret, qui calumnias adversariorum detergeret, qui falsa a veris secerneret, qui decus denique et nomen nostrum in exoticorum Principum aulis serenante veritate vindicaret, multo quidem et rectius et foelicius rebus nostris consuleretur. Id tamen aut studiis partium abrepti aut pusillanimitate deterriti neutiquam facimus, gentili forte indole.

/ quae imitatrix ut plurimum magis quam aut dux aut repertrix.

27. Verum ego Princeps Ill/ me Academiae liber olim Alumnus, aulam flo-
rente Comite Essexiae, sub Elizabetha regina, cogitans: urbe, ruri, Acade-
mia, aula mihi juxta ob Religionem displicentibus avia mea atque matre
5 velut Ladda et nice Timothei, cognatis etiam atque affinibus meis
catholicis, sic mea^e vitae semper institui rationem, ut quoties publicam
rem respexerim, a partibus vel his vel illis diligentissime caverim.
Privatim vero Religiosos e Societate Jesu a me fateor praecipue cul-
tos esse, estimatos velut candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundi-
10 ores ebore antiquo, sapphyro pulchriores, sicut de suis Nazareis prophe-
ta Jeremias loquitur, et tanquam plane tales quorum ministerio forti-
tudo crevit Ecclesiae. Quod de fratrum Praedicatorum et Minorum tunc
temporis emergentium ministerio ferax testatur Matthaeus Paris. Nec
movit me tantillum cum unitatem nobis necessariam senseram, si apud
15 alterutros is vitae color in suspicionem pertraxit tutum conscientia.
Communis autem rei salus mihi timido, ita semper ob oculos versata est
ut ne in factionum saxa impingerem a Summo Pontifice veluta numinis
nutu, non autem ab obscuris nescio quibus semichristianis Politicis in
ancipitibus atque controversis penitus pependerim. Unum ergo semper
20 suspexi gnarus quo plus quodque unum, eo magis et Dei esse. Omnes prop-
terea mihi ex aequo chari sacerdotes, et qua hujusmodi venerabiles
gradibus iis tantum aut amoris, aut observantia distincti quique pro
eorum vel meritis vel dotibus, secus autem facientes adversariorum in-
sidiis portam reserare habui persuasissimum. Et licet ego de metes-
25 timonium perhibeam, (non enim egeamus commendatis epistolis ad vos)
testimonium tamen meum verum est. Dissidiis autem adeo destinemur et
mutuis dirimimur suspicionibus ut non reperiantur unus atque alter
qui in commune sunt ausi consulere; fidei enim in Principem praetextu
sed perfidia in Deum, ut effectum, docemur, quotidie prodimur non solum
30 ab adversariis, sed ab iis etiam, qui fastidiosissime, atque invidiosis-
sime sese jactant Catholicos. Perit unum et unitas. Dum seorsim consu-
limus, omnes vincimur. Metur invasit ~~animas~~ omnes, et pestilentior sub

/ prudentiae nomine Philotia. Nulla uspiam longanimitas, precipites passim ferimur. Omnis autem adeo tibi videtur sapere, atque ad utilitatis praesentaneae rationem adeo expendit omnia, etiam spiritualia, quasi humana compages, quemadmodum brutorum ex solis sensibus et sensibilibus 5 bus consisteret, non autem ex domina mente, et caeteris ancillantibus. Sed nihil unquam fuit aequae in promptu, ac invenire quod reprehendas.

28. Literarum certe liberaliorum, sine quibus res nostrae nequeunt belle subsistere, is est apud nos contemptus, ut mihi ipsi monachus quidam Polyprage sed idem fateor non ex doctissimis, haud erubuerit serio affirmare nescitum ab illis esse, quod cum literatis praesertim laicis fieret, verius dixisset cum talibus praesbiteris, vocemque tam turcicam exemplo illustravit cujusdam Theophili Stigmii ministri uxorati conversi, juvenis ingenii elegantissimi, sed delicatuli, qui ad instar vetusti Arnobi librum suae fidei, quasi vadem, atque ob- 15 sidem edidit de Purgatorio, pulchrum profecto atque utilem sed (horresco referens) praetextu saltem inopiae necessariorum non sine dedecore notae immortalem, fede quidem, sed absque maleficio labem. Ludovici Lukonori viri equestris, Joannis Danni qui apud limatiores, sed minus cautos quoque, in pretio est non exiguo ob singularem animi amenitatem, et aliorum Anglicae scribentium libelli magno cum fastu, et 20 contemptu nostram nobis exprobrant miseriam, et ridiculam egestatem. Ridiculam dico, non solum quia paupertas, ut scribit Satiricus, homines facit ridiculos, sed quia tam vacuo aerario nostro, contra potentissimi regis non exhaustiendas opes bellum geramus. O ubi veteris Ecclesiae 25 tenerrimus sensus, et ex legitimo mundanorum despectu beneficentia plane coelica? Beatus Cyprianus, sicut ipsemet in suis Epistolis profitetur, ne christianus quidam histrionicum doceret publico sumptu scandalum redemit. At quid faceret sanctus idem, et fortissimus episcopus in hoc tali casu? Certe quidem non solum Ecclesiae redditus in ejus 30 alimoniam oneraret, sed et inornatum etiam. Nostrae autem non tam paupertatis, quam mendicitatis, et miseriae argumentum isto luculentius frustra expectarit aliquispiam. Quam ut adversarii maximam reddant

/ suos omnes intendunt nervos. Per caeteros vero catholicos stare oportet, unius corporis christiani cum simus membra omnes, neque nihil nunc Anglis nobis contigit, quod Gallis, Hispanis, Italibus, et quibus aliis nequit contingere, et certe continget aliquando, ut ex collatitia per
5 Europam styge pro more innascenti Ecclesia usitato, non dico resarciantur damna, quis enim nummorum cumulus tanto impendio satisfaceret? at minimum sustineantur corpora. Id autem ex re ipsorum principum et fore, et valde fore rationibus valentissimis paratus sum, sicut superius tetigi, asserere. Nobis autem nulla sub Deo nisi a Sede apostolica
10 ca spes super erest, sique vero alia est, admodum ea tenuis, et exilis. Jacobi quidem res plane intra fortunam sunt; et instabiles, quia Petrum quem beatus Chrisostomus optime vocat, regum protectionem, patronum ipse rex rejecit et flocci facit. Is autem, qui si diu vixerit perimus, si diu non vixerit pejus erit, maternorum oblitus monituum, quos sub
15 Elizabethae tyrannide vitam positura ex sacro profugit pectore, per nuncium suadens, scilicet, Ne hujus saeculi prudentiae nimium fideret, catholicorum principum animos suo infestissimo exemplo accenderet, et faces succenderet, qui ut Christi vicariatuum, qua regum insolentiae adversentur, neque sumptibus ullis neque laboribus parcat. Novum ille
20 igitur belligeni mentes hominum expugnando profitetur, et mordibus persequitur.

29. Cum vero illustrissima vestra serenitas insipientiam meam hucusque indulgentissime pertulerit, obsecro non pigeat paucula porrhò eorollararii vice exaudire.

25 Ut igitur Ecclesiam Dei in Britannias Cacanoglicae furiae protiverunt ita veritatem ejus non solum dogmaticam, sed et historicam etiam, hoc est, fidem divinam, pariter ac humanam, omnium bipedum nequissimi verbosissimis voluminibus, et commentis molestissimis, quasi molibus injectis oppressam tenent. Malo huic tam ingenti nemo adhuc obviam
30 ivit satis. In veteri historia Urbinatis Polydori diligentiam forte quispiam desideret et fidem, ipsi licet infidissime nonnulli, alii et-

iam ingenium et iudicium. Optimus Harperfeldius sub Alani Copi nomine, pseudo martyrologium Foxum in omnem vetustatis memoriam sacrilegas injicientem manus concussit magis, quam confodit. Recentis historiae particulam sub schismatis Anglicani nomine doctissimus Sanderus popularis meus, edidit. His praecipue latine Harperfeldii alia monumenta delitent. Magnus ille Robertus etc.

Personius non tam dedita opera quam carptim, atque arreptis ansis in utroque genere, diversis temporibus nonnulla divulgavit anglice. Contra vero adversariorum ea est diligentia, ut stupori sit, et dum haec ipsa scribo Casaubonus Balaam ille conductitius C. Baronii Annales vel hoste teste, laudatissimos ac si teredo nobilissimam cedrum exederet, nescio quid novi, velut Zoilus importunus Londini promulgavit. Quantum religionis intersit, ut res gestae fideliter narrentur atque asserantur graviter, impudens forem, si apud te talem pluribus dissererem.

Recte autem Salustius nobilitate veritatis Historicus B. teste Augustino, scriptum reliquit. Imprimis arduum videri res gestas scribere. Ex difficultate vero facti pulchritudinem licet conjicere. Mihi satis superaque sit ad hanc rem quod attinet me viginti plus minus annis hoc est ab ipsa pubertate, omnem meam operam et industriam de industria insumpsisse quo tandem aliquando Historiae Britannicae Vindex, si vellet Deus, prodirem proposito homine liberrimo et educationis meae honestate non indigno. At ego magis quiddam meditabor scilicet ut causis, consiliis, rebus gestis, morbis et morborum patriae meae medicinis sedulo perspectis ad montem et arcem sapientiae, quam Veritatis Contemplationem B. statuit Augustinus aut ad arcis saltem crepidinem tandem aliquando pervaderem, dulcissimaeque Angliae meae afficiose in aliqua particula mederetur.

30. Quae omnia ex Regni Christi usu non esse novimus quandoquidem ut sacrum Papae nomen adversarii infamarent ^{ori} auctoritatemque ejus in extremum contemptum ducerent, cum libri illi voluminosissimi exarati fuerint, atque editi, tum quod ex Angliae sanatione toties quoties orbis christiani praecipue pendeat. Non autem, sicut prophana imperia funda-

1 tur Summi Pontificis divinae similis potestas in sensu tantum perep-
tis, sed in abditissimis hominum sensis. Christi igitur imaginem et ve-
nerationem vicario suo debitam, ut novas ibidem erigant formas, qui ex
animis mortalium tollit, is vel maxime hostis Ecclesiae, is vel maxime
5 est idololatra, atque Antichristus. Stabit religio congrue mentes quo-
usque hominum timor Dei et poenarum inferni insederit, et stabit ita
vel exacto Roma Pontifice Hunni, Gothi, Vandali, Burgundi urbem inundent
molem Hadriani Agarene possideat (tantam tamen abominationem aver-
tat ab Urbe Deus) aut ad veterem Albam migrent Romani, Roma nihilomi-
10 nus (Ecclesia Catholica) manebit et perennabit quae non in domum des-
criptione aut pomariorum ambitu comprehenditur, non loco, non locatis,
sed fidelium numero sive Avignioni Pontifex sive Japoniae. Vixerit Ro-
ma, fuerit quamdiu Christus fuerit. Hoc authore et stare et cadere jux-
ta dulce est. Quod si tales vel maxim sint hostes Ecclesiae, ejusdem
15 certe Ecclesiae ii vel maxime sunt amici, quorum opera factum est ut
Christo et Christi Vicario suam constet per victricem veritatem decus.
Haec animi mei abstrusissima arcana atque cogitata in longum futurum
tempus recondita Diabolo non erant clam, quemadmodum ex innumeris ma-
lis quae pertuli fas esset divinari. At intellecto esse nonnullos, qui-
20 bus res sacerdotum Anglicorum communes corde, et curae sunt, sicut ve-
hementer laetabar ita non esse qui speciatim laicorum res promoverent
indolui. Quia vero certiores facti fuimus mala nostra quae suo immenso
pondere mentes nostras degravant, et res afflictissimas opprimunt, pa-
rem illic innotuisse, nec satis delineata esse ut aliquis tandem sta-
25 tum Catholicorum in Anglia sancte, plene, et cum dignitate peroraret
innumeris suspiciis exoptabam. Sed et alia multa optanda sunt, quae vi-
am tamen non inveniunt. Incommoda vero quae extra, intus, undique perpe-
timur laici non sunt numerabilia. Quibus ut rarius licet esse martyri-
bus, ita quo nos perire sentiamus, misere in horas angimur, vivi morimur
30 quotidie. Recte igitur cum Havani possumus ingemiscientes dicere: qui
remanserunt et derelicti sunt de captivitate in provincia, in afflic-
tione magna sunt et in opprobriis. Laicorum tamen magna est habenda

/ ratio, eorum enim res si apud nos corruerint, sacerdotum quidem stare non possunt, at laicorum salvis, florebut et sacerdotum qui ut plurimum sunt. Laicorum beneficiarii, frequentant laici cetus, laicicum adversariis miscent sermones, animosque eorum opportunius quam sacerdotes, *5* ad veri fingunt studia. Sacerdotibus enim nisi personatis in luce hominum versari non licet, et nisi prius persuasos, aut saltem credendi dubios, pertentatosque probe ad sacerdotales ducere latebras ipsos magis esset sacerdotes prodere quam prodesse infidelibus.

31. Sacerdotum dissentionibus, unde apud nos livor, detractio, susurri *10* murmura, odia et reliqua contentionis monstra, finem imposituros Ep̄os, quos corpus cleri nostri saecularis videtur efflagitare, homines gravissimi putant; sperantque, imponet certe charitas mutuo ex consensu coalescens. Quod si dentur nobis Episcopi: tum certe, quia ipse Constantinus magnus (teste antiquo Gullielmo Fitz-Stephano anglo) natus erat *15* Londini; quia etiam ante B. Augustini adventum sub druydibus archiflaminatus honore, et sub Christo archiepiscopatus dignitate urbs illa gavisa est, quae vel Taciti temporibus maxime celebris; quia etiam B. Gregorius disertis verbis id esse aliquando voluit; quia denique B. Augustinus^m monachum, Anglorum apostolum, adversarii apud Londinenses odio *20* ose calumnientur, quasi dum affectibus suis nimium indulserat, civitatem suam prae qua Dorobernia, elegans licet, et duodecim pareciarum urbs, vix vituli^c mereatur nomen (tempore enim Henrici secundi annos ante quadringentos magnis conventualibus ecclesiis tredecim, et parochialibus centum viginti sex resplenduit) suo celcissimo fastigio *25* spoliaverit, rectissime forte fecerit sua sanctitas si suum Londino restituerit archiepiscopatum, polluta praesertim, atque prophanata sede Cantuariensi. Nec tanquam res parvi momenti est praetervolandum istud plus enim potest in omnem partem Londini benevolentia, quam Angliae dimidium. Voluptatem autem ex hac Pontificis maximi tali ordinatione *30* Londinenses procul dubio percipient, forte etiam et salutem, cum Archiepiscopum illa ipsa authoritas Londino restituerit, quae primum ei ¹ dēpserat, et Dorobernensem fundavit. ~~AM~~ Credat mihi tua Serenitas non

est haec parvi res momenti, sed si episcopi obtandi sunt, multo magis Londinensibus archiepiscopus, eoque magis, quod hic ipse qui se nunc episcopum gerit ex vernaculo authore Massono ministro, et apud suos Doctore; non nisi a Sede etsi vocationis suae jus, et derivatam potestatem vindicare probetur: recta autem linea (quamquam absurda, quamquam ridicula, quamquam impie) ad ~~Neum~~ quemadmodum et ad Cantuariensem primatem, et reliquos Angliae pseudo-episcopos, qui nunc tyrannidem exercent in cathedris quique suis, jus illud et potestatem derivari, magna contentione monstrare nititur. Quod ergo faustum foelixque sit Ecclesiae anglicanae, detur Londinensibus archipraesul, et Britannico orbi quasi Papa quidam, cum sit ea urbs Britannicarum omnium innumeris gradibus longe augustissima. Laicorum ad res quod attinet (sacerdotum rebus sic proviso, atque stabilitis) quid praeter vota, et tantum vota supersunt? O utinam igitur tandem aliquando formula aliqua reipublicae, aut disciplinae inter catholicos anglos constitueretur. Ingens certe tam salubri, et tempestivo concilio in rem nostram universam redundaret utilitas. Nos interim anarchiae nostrae, aut anarchia quavis peioris Polycraerae merito piget, taedetque. At nisi autoritate apostolica ea constituatur formula, laici profecto durante hac procella in corpus nunquam erigemur, quos adversarii ne id unquam eveniret studiosissime dissiparunt. Formulam autem aliquam constituere est quidem factu facile, aut certe non ita difficile, et eam cum singulari religioni, atque ordinis civilis onestamine. Interea loci quandoquidem b. Clemens, cujus ipse Paulus honorifice meminit, notarios septem per Urbem septicollem ordinavit, qui acta martyrum, et caetera notatu digna diligenter exciperent, quandoquidem etiam beatus Hieronymus presbyter testetur Eugebium episcopum a Constantino magno, beneficia quaecumque perciperet offerente, nihil prius, aut aliud quaesisse, quam et authentica monimenta, ex ipsis Archivis sublata, imperatoris jussu iudices ad eum ex universo orbe romano mitterent, quo rerum ecclesiasticarum memoriae pie consuleret, utili (Deus bone) et praeclaro, si quod aliud, proposito. Proinde est et Sanctitatis Suae solius decernere annon ex

ex re romana jam foret, si e laicorum numero aliquis nobis assignetur Archigrammateus atque Protonotarius in Anglia Apostolicus cum auctoritate alios sub se constituendi notarios, consulto, si sic visum fuerit, Archipresbytero sive Episcopo. Quod si videbitur utile, tunc quidem ex hoc animi mei caractere, quem hae meae litterae tanquam in speculo exhibent, si muneri illi ego par ferendo judicabor, onus, et honestum periculum neutiquam detrectabo. Imo quidem si cum Benedictione, et plena indulgentia, maximis mortalium bonis, id in me omnium candidatorum tempore primum benigne conferatur, gratias agam magnas. Tunc enim meo quodam jure, non solum possum ad Suam Sanctitatem scribere, sed debeo; falsa autem, atque ficta, sicut nunquam, tum vero, non sine perjurio atque sacrilegio. Deinde annuntiando quae nuntiari debent non deterrebor ad quoscumque pertinuerint, praeterea majori cum dignitate inter meos versabor, et libros quos non ita magnos, per tot annos molitus sum publici juris quando visum fuerit fecerim. Ea et aliud quiddam in votis meis quod (utcumque) optimo clam non esse sinam Bellarmino. Gregorius decimus tertius sua munificentia omnes nationes Romanae Sedi aeternum devinxit, singillatim Anglicam, quam Sixtus quintus ornavit etiam Gulielmum Alanum Anglum sacra purpura insigniendo. Gregorii Beneficia omnes ejus successores continuanda fecerunt sua: blasphematum Novus homo (monstrum diceretur) contemni nunc Romae literas, atque literatos. At ego etiam Gulielmum Alabastrum (vertiginosum illum prohdolor lapsum, qui nova quotidie dedolat sacra) viginti aureorum pensionem mentastrua illic donatum atque honestatum scio. Fiducialiter agam. Si mihi quoque pensio honesta (perpessorum lenimen perferendorum arrha) a die dati harum solvenda, aut pensioni aequivalens donativum in Anglia, ubi maxime prodesse causae possum, persolvatur, donec vel majora censebor meruisse, aut illis mulctari, haud equidem mihi magis erit usu necessarium, aut testimonio gratum, gratissimum licet, quam rei Romanae fructum forte utilissimum, atque (quod spondeo) existimatione honorificum. Postremo quia ad bonos confirmandos et pravos invidia

rumpendos multum conducet, valde vellem ut illustrioribus Catholicis qui juramentum recusantes magni aliquid pertulerunt damni, fidemque suam publice profitendo optime de Petri Sede meruerunt laudes, benedictiones et indulgentiae singillatim decernantur, pro cujusque aut dignitate aut meritis amoris et benevolentiae Pontificiae tessera, symbola atque argumenta acceptissima. Quod non exemplo caret. Pius enim quintus, vere pius, nobilibus aliquot Polonis, missis litteris ad eos per Poloniam gratulatus est, eosque collaudavit, quod de re catholica, et suis animabus meruissent bene. Saltem si epistolam aliquam (ut ut brevem) generaliter consolatoriam Beatitas sua dignaretur transmittere, animos nostros erigeret et constantius perdurare faceret, inde enim accepto argumento edocerentur omnes catholicos Angliae, contra quod multi suadent credendum, non esse spreto et despecto Romae. Id Pius praefatus ad Margaretam a Marca virum suum Joannem Lignum in proelio caesum, lugentem missis consolatoriis est exequutus quanto magis ad nationem Anglicam quae pro Pontificis jure tot perpessus est barbarice immania et est perpessura in dies, idem forte nunc perpetraret paterno amore victus. Me vicem Mnemonis (Lycophantis verbo uter) hac in re prestitisse non vertetur vitio, si effectus sequatur, sin vero sapientiae Pontificiae consultius visum fuerit omittere veniam officiosae pietati spero, precorque.

32. Veruntamen meam istam ill/me Dñe scriptiois insolentiam, atque morum meorum (ut sic dixerim) tramontanitatem, vituperabunt forsitan qui delicatiores sunt, sed vestrae Serenitati, velut in exercitu catholico duci primario ferocius istud, et militarius dicendi genus, ab homine inter pugnacissimos adversarios assidue versanti proficiscens non omnino fore ingratum confido, ut pote quod veritatis ambitiosum, atque capax, magis quam ornatus, et propterea negotiis, usibusque nostris longe utilius, atque laudabilius, certe quidem expeditius, et decentius.

33. Denique quia decus publicum, atque tuum (Bellarmine) prae mea salute magni feci, quia fidem Christo debitam, illibatissimam conserva-

/ vi, quia honores omnes, et vias ad honores spreui in patria, quia pro Christo, et Christi Vicario pro virtutis imperio, pro literarum maiestate, pro Anglia, pro Regis, et pro gregis salute, mearum rerum prae illis longe incuriosissimus, vigilo qua datur, quia pro his non solum
5 mortem (rem quidem ut sunt res nostrae obtandam) sed etiam, quod morte est acerbius universa quae pertuli, ea vel aliquoties, vel quoties quoties repetita subire paratus sum, quia demum intra hoc decennium non solum nonnulla aureorum millia omnia perscrutendo communis boni ergò absumens haud fatisco, sed maioribus animis ad rem publicam catholicorum legittime promovendam utor, et accendor, si tuae Serenitati
10 me adeo gratum reddiderit, et acceptum, ut vos communibus Anglorum rebus, et meis ex animo adfuisse tempestive persenserim, ego quidem (pro meae exiguitatis modulo) cliens fuerim, si Deus volet, neutiquam ingratis-
simus.

15 V/am interea Serenitatem (quam rei catholicae non solum cardinem, et columnam, sed et singulare agnosco propugnaculum) Deus O.M. ad sui nominis gloriam, Britanniarum salutem, et totius orbis commodum sospitet semper atque tueatur.

E meticulosus meis latebris fest. Annont. B.M. 1614.

20

Serenitati V/rae devotissimus

Edmundus Bolton.